

Jacob Fabricius

**Rector Academiae Rostochiensis, Jacobus Fabricius, Archiater & Professor ordinarius, ac Collegii Medici Decanus, Ad exsequialem lessum, Viro ... Dn. Joachimo Schutten, Reipublicae Rostochiensis Consuli ... Hodie ... a relictis liberis moestissimis, piissimo adfectu curandum, Academiae Cives ... vocat & invitat**

Rostochii: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77578270X>


Druck Freier  Zugang




Fabricius, J.,  
in  
*Schütze*  
J. Schütze.

Rostock, 1632.

45.







RECTOR

25.

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,

JACOBUS FABRICIUS,

Archiater & Professor ordinarius,

ac Collegij Medici DECANUS,

Ad exsequialem lessum,

*Viro amplissimo & prudentissimo,*

DN. JOACHIMO  
SCHUTTEN,

Reipublicæ Rostochiensis Consuli

dignissimo, hæreditario in

Stove,

*Hodiè in templo Divæ Mariæ horâ  
primâ,*


à relictis liberis mœstissimis, pijsimo ad-  
fectu curandum,



ACADEMIÆ CIVIS,

omnes & singulos,

quos par est, modo vocat & invitat.



ROSTOCHII,

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

Anno M. DC. XXXII.



Uod Salomon, Davidis filius, magnum illud humanæ Sapientię miraculum, gloriosissimus Israëlitarum Monarcha, non ex tripode, vano quodam afflatu, sed ex divinâ inspiratione, aureo suo, & elegantissimis, ac civilis prudentię excellentibus terminos, sententijs cumulatissimè pleno, Proverbiorum libro, capite 14. pronunciavit, Risus dolore miscbitur, & extrema gaudij luctus occupat, ejus veritatem, paucis antè diebus experti sumus, in viro amplissimo & prudentissimo, *Dn. Joachimo Schutten*, Consule Reipublicæ Rostochiensis dignissimo, qui cum morbo longiore aliquandiu delassatus, filij sui natu maxumi, viri clarissimi, *Dn. Nicolai Schutten*, Professoris nostratis Academię Consultissimi, dilectissimam sponsam, Lubecâ huc, matrimonij consummandi causâ, adventasse intelligeret, profectò dici nequit, quanto perè sese recrearit, & animo suo gavissus fuerit, ita ut non nemo morbum penitus fugatum, & optatissimam redijssè valetudinem crederet, ac propterea illi cordicatus gratularetur. Verum gaudium hoc & spes recuperandæ sanitatis admodum anceps & fallax fuit, parumque firmitatis, uti eventus docuit, possedit: brevi siquidem & momentaneo ferè tempore disparuit, & post exiguam lætitiã, protenus insignis mœror successit, ac lamentabilis planctus, ut domestici propemodum exanimati, quasi Marsyas in statuis, neque apud se sa-

tis esse viderentur, neq; aliquam tanti mali, & tam repentinis doloris allevationem, excogitare, vel etiam quid adeò turbato & aperto pectore fluentibus in vulgum lacrimis, crebrisq; singultibus voce impedita dicere aut facere vellent, invenire valerent. Nimirum ita vita nostra comparata est, ut vix quæpiam reperitur hilaritas, in quam non aliquid mœsti aut certè molesti antexpectatum incidat, estque hæc omnium in hoc Mundi diversorio viventium fors communis; ut non immeritò jam olim Euripides dixerit, ὁ βίβλος, ἡ βίβλος ἀληθῆς, ἀλλὰ συμφορὰ, vita nostra reverà non vita est, sed calamitas. Copia siquidem hic subest, ut Augustinus ait, tribulationis, & inopia consolationis, ut inter cuncta animalia, homine nullum reperitur calamitosius. Nascitur enim ad miseriam, sicut avis ad volatum, estque in perpetuâ militiâ: Milites verò quot quæso perferunt mala! Jam cibus, jam potus deficit, mox ab hoste fit irruptio, ubi defatigantur, vulnerantur, imò sæpius planè succumbunt & moriuntur. Non aliter Christiani in hac vitâ velut in publicis castris degunt, quippe pugnare illos oportet adversus carnem, ne inficiat, adversus mundum, ne decipiat, adversus Diabolum, ne occidat. Ac certè nullum fretum, nullus Euripus tot motus, tantasq; & tam varias agitationes fluctuum habet, quantas perturbationes, quantos æstus nostra hæc vita. Quis sibi unquam verè illud usurpavit, quod de se apud Poëtam Sybilla jactitat?

— jam mihi secula septem  
acta vides, superest numeros ut pulveris æquem,  
ter centum masses, ter centum musta videre.

Multò rectius, & omnes istud verum sine discrimine,  
experiuntur,



*Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.*

Ecquid etenim est omnium hominum vita, vestigium nubis est, bulla est, herba solstitialis est, herba cadit, bulla perit, nubes transit: Spithama est, non longè porrigitur, arvi foenum est, manè crescit, vesperi cæditur, arboris folium est, pulvis est, aura est: vadit aura, & non revertitur, pulvis properiter in nihil vertitur, aqua in terram dilabitur, testa est, quid testâ fragilius, vitrum est, quo quid rupturæ proximius; imò spuma est vita nostra, & cum vix apparet exorta, in nihilum recidit. In quam rem Augustinus egregiè super Psalmum 103. Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, tumores, flos fœni est. Floret illa domus & magna domus, floret illa familia, quàm multis annis floret, aut quàm multis annis vivunt: Multi anni tibi, breve tempus Deo, Deus non sic numerat, quomodo tu numeras. In comparatione longorum & longè vigentium seculorum, omnis flos cujuscunq; domus sic est, quomodo flos agri. Vix est annua omnis pulchritudo anni. Quidquid ibi viget, quidquid ibi candet, quidquid ibi pulcrum est, non perennat, immò per totū annū duci non potest. Quàm exiguo tempore transeunt flores, & hæc est pulchritudo in herbis: hoc quod valde pulcrum est, hoc citò cadit. Quæ cum ita sese habeant, frustra magnis cogitationibus animum implemus; quin potius fragilitatis nostræ subindè memores, assiduò cogitemus **MORI**. Ad unum, etenim omnibus est calcanda semel via **LETHI**: Omnes eodem cogimur, omnium versatur urna, serius, ocyus fors exitura, & nos in æternum hospitium impositura cœli, ubi omnis nostra tristitia vertetur in gaudi-

gaudium, gaudium benedictum, verum & merum, quale oculus non vidit, auris non audivit, neq; in cor hominis ascendit, quo velut torrente voluptatis inebriabuntur, quotquot curia coelestis æternitatis amplexu suo recipiet.

In hunc securissimū perpetuæ quietis & tranquillitatis portū placidissimā morte delatus, & ab hujus vitæ molestijs, ac turbulentissimis tempestatibus, quibus assidue concutimur, liberatus est, quem sub vestibulum hujus Programmatis nominavimus, *Dn. Joachimus Schutte*, Consul Rostochiensis, cujus vitam strictim & breviter, pro tralatio & consueto more, publicitus exponemus. Contigit illi lucis hujus usura, in laudatissimā & celeberrimā nostræ Megalespoleos urbe Ducali, Gustrovio, parentibus integerrimis & honoratissimis, vitā jamdudum functis, *Patre Dn. Nicolao Schutten Senatore Gustroviensi, Matre Annā, ex nobili Stoislavio- rum familiā oriundā*, idq; anno exeunte supra millesimum quingentesimo, sexagesimo quarto, sub finem Decembris: quorum curā & laudabili diligentia, non tantum Christo, fundatori humanæ salutis, per lavacrum sacrosancti Baptismatis oblati & uniti, verum etiā deinceps aliquot annis liberaliter educatus, ac præceptorum tam privatorum, quàm publicorum sedulæ informationi commissus & commendatus est. *Avum habuit paternum Joachimum Schutten, Illustrissimū & celsissimū quondam Megapolenis Ducis Henrici b. m. Consiliarium, & præfecturæ Gustroviensis ac Stargardensis Capitaneum, qui omnibus matronalibus virtutibus conspicuam, Margareta Vinckelmanniā, Domini Christophori Klevenowen, Consulis Gustroviensis relictam viduam, sibi legitimo thoro junxerat. Maternus Avus fuit Nicolaus Stouloff, vir nobilis, simulq; Senator Gustroviensis, cujus conjunx Brigitta Klevenowen, pariformiter ex celebratissimā isti loci prosapia genita. Quid verò prodest lōgo*


*Sanguine censei, pictosq; ostendere vultus  
Majorum, & stantes in curribus Emilianos?*

Hoc unū potius intueamur, ut ad virtutē bene à Naturā compe-  
firi simus: alioqui si ad vetera, retrò continuā serie sese quis revo-  
cet, nemo non indē est, ante quod nihil fuit: Neq; facit nobilē a-  
trium plenum fumosis imaginibus: nemo in nostram gloriam vi-  
xit, neq; quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem,  
cui ex quacunq; conditione supra Fortunam licet surgere, uti e-  
gregiē scripsit Seneca. Nihilofecius ὁ μακροχρόνιος noster, generosā  
suetum Majorū virtute incitatus, in patrio Gymnasio, tantos fecit  
progressus, ut à suis præceptoribus dignus judicaretur, quem ad  
Academias, ut quibus κατ' ἐξοχήν competunt scholarum illa elo-  
gia, quæ D. Basilius proponit, quod sint ψυχῶν διδασκαλία λο-  
γικῶν, καὶ θεωρητικῶν παιδευτήρια, parentes ablegarent. Primū  
itaque sese in hoc Rosetum nostrum anno ætatis 17. contulit, ubi  
studiorum suorum Mecænates & Promotores invenit Christo-  
phorum Sturtiam & Christophorum Wendinum, Juris Docto-  
res, sub quibus triennium integrum tantum didicit, ut & publi-  
cē & privatim non semel, tum orando, tum disputando, suam to-  
ti Academiæ ostenderet industriam, & erga bonas literas atque  
alia, homine liberali digna exercitia amorem, quorum causā &  
deinceps Witebergam, Lipsiam, Marpurgum, tandemq; Argen-  
toratum profectus est, ne quid addam, de alijs Germaniæ Aca-  
demijs & celebrioribus urbibus, quas & vidit, perlustravit, seq;  
ibidem de gentibus magnis viris amicā familiaritate insinuavit:  
demū & parentū, ac Consanguineorū suāsu, exteras & longius dis-  
firas, desiderio plenius discendi flagrans, invisit oras, & comitan-  
tibus aliquot illustribus Primaribus, ac Baronibus, anno ætatis  
26. in Italiam perrexit, ac postquam Veneræ Reipublicæ statum  
cognoverat, Pataviū concessit, ubi linguæ Italicæ, alijsq; libera-  
libus studijs operam dedit: Indē Bononiam, Urbinum, Anco-  
nam, Loretum ac Romam conspicatus, contendit Neapolim: de-  
niq; Siciliam ex unā parte emensus usq; in Malram insulam na-  
vigavit, & mox ex alterā parte Siciliæ revertus est Romam, ubi  
sicut & Senis, itemq; Florentiæ aliquandiu substitit, mox Pisas,  
Liburnum, Genuam, Mediolanum adjecit, undē triennio exa-  
cto, oblata occasione in Hispaniam iter fecit, ac ubiq; populos

ac mores illorum probè notavit: Hinc per Sabaudiam & Helve-  
tiam in Germaniam redux, tandem, visis etiam Belgicis provin-  
cijs, feliciter patriam repetijt, annum ætatis agens 30. ubi Patre  
defuncto, Matri viduæ per triennium convixit, peregrinationi  
sua modum ponendam censens, absq; quo ista perpetua jactatio,  
ægrî animi est, ut Seneca scripsit, existimans primum argumen-  
tum compositæ mentis, posse consistere, & secum morari: Ideoq;  
patriæ & familiæ pro suâ parte inserviendi cupidus, animum ad-  
plicavit ad conjugium, anno *1597*, ætatis 33. ductâ in  
uxorem Ihsâ Gerdesiâ, civis quondam & centumviri hujus Rei-  
publicæ honoratissimi Joachimi Gerdesen filiâ, quæ ante bien-  
niû mortua ad æterna gaudia præivit: Hæc 33. conjugij annis, de-  
functum nostrum novè liberorum Patrem fecit, quorum major  
nata Anna, & tertium genita Catharina, quintoque natus filius  
Joachimus, jam pridem Naturæ, quod quælibet illi debet morta-  
litas, tributum exsolverunt, cœteri adhuc superstites vivunt:  
Inter quos primus recensetur Dn. Doctor NICOLAUS, qui, uti  
superius indicavi, nuptias cum celebri generis virgine Annâ,  
Dn. HERMANNI von Dorn quondâ Senatoris Lubecensis filiâ,  
celebravit, quarû lætitiâ repentinus hic mœror excepit, quem  
ut novelli hi conjuges patientissimè tolerant & rogo & opto:  
Proxima succedit Elisabetha, nupta Valentino Beselinio, civi  
hujus Reipublicæ primario, ex quo par filiorum suscepit, quo-  
rû unus Jacobus vivit adhuc, & alter Joachimus diem suum obiit.  
Reliqui liberi, Virgo Emerentia, & tres filij Matthæus, Christia-  
nus & Henricus, ad pietatem & alias sexui suo congruentes vir-  
tutes, & exercitia, ductu paterno. hætenus informati fuerunt,  
qui cum luctuosissimo carissimi parentis obitu graviter conster-  
nati sunt, ijs Spiritus Sancti auxilium & solatiû precor, simulq;  
ut in recto virtutis tramite deinceps pergant, & laudabiliter  
progrediantur, ex animo voveo. Cæterum cum post matrimo-  
nium feliciter contractum quamplurimis, per quotidianam  
conversationem, defuncti nostri prudentia, & promptitudo inge-  
nij, ac singularis in rebus politicis scientia innotescerent, vix  
uno præterlapso anno, in Senatoriû ordinem hujus civitatis  
coopertus est, suamq; Spartam illâ fidelitate, diligentia, & indu-  
stria administravit, ut omnibus ac singulis Collegis suis non tantum

eum gratus & acceptus esset, verum etiam deinde anno 1621. ad  
consularem dignitatem eveheretur: in hisce honoris sui publi-  
cis muneribus, plurima, domi forisq; tam laboriosissimis, ad Se-  
ptemtrionis Monarchas, Sueciæ & Daniæ serenissimos Reges,  
Legationibus, quàm alijs negotijs, in conventibus Hanseaticis  
& provincialibus, non sine insigni nominis celebritate, exant-  
lavit, suiq; desiderium ingens posteritati reliquit. Pietatem &  
Religionis ardorem devoto ad sacras Conciones audiendas ac-  
cessu, crebraq; sacre Eucharistiæ fruitione demonstravit, id  
quod adeò notum est omnibus, ut simpliciter tantum attigisse  
ad commendationem sufficiat. Tandem verò & laborum suo-  
rum finem communis humani generis miseria, seu mors tempo-  
ralis infecuta est, quam præcessit febris, non quidem symptoma-  
tum vehementiâ magna, attamen tanta, ut paullatim vires  
attereret, cui tollendæ licet nihil intermissum sit, eaq; omninò  
sublata apparet, mansit nihilominus omnia virium falsitudo,  
quæ cum nullo modo, tam *Φαρμακεία*, quàm exquisitâ victus  
ratione corrigi posset, ingravescentis mali & propediem clausu-  
læ imminentis vitæ non obscura documenta ostendit: Accedente  
itaq; indies *ἀρεσφία* majore, & virium aucto lapsu, nupero Sab-  
bathi die, qui erat 19. Maij, octavâ vespertinâ, absq; magni cru-  
ciatus indicijs, placidè exspiravit, suamq; animâ Christo reddi-  
dit, anno ætatis 68. Ejus exuvijs fiet hodiè horâ primâ in templo  
Divæ Mariæ sacro funus, ad cujus deductionem nostri est officij,  
ut frequentes comparemus, nostramq; relictis liberis, totiq; fa-  
milix, & inprimis Collegæ ac amico nostro honorando condo-  
lentiam testemur. Quod nobiscum civēs Academiæ omnes & sin-  
gulos facturos, uti omninò confido, ita eosdem, eâ quâ par est,  
diligentiâ rogo & seridè hortor: Inter eundem autem quisque  
*Ὀψωνία* memoriâ excitatus, quomodo hujus Mundi illece-  
bris valedicere velit, secum pensitet, ut ad mortem excipien-  
dam, quâcunq; apparuerit horâ, paratus vivat. Nescimus enim  
quando veniet; semper itaq; vigilemus, ut quia, quando veniet,  
nescimus, paratos nos inveniat, quum veniet, & fortassis ad hoc  
nescimus, quando veniet, ut semper parati simus, quemadmo-  
dum Augustinus alicubi in rem istam pijsimè scripsit. P. P. sub  
Sigillo Magistratus Academiçi, die 24. Maij, Anno 1622.











ac mores illorum probè notavit: Hinc per  
tiam in Germaniam redux, tandem, visis et  
cijs, feliciter patriam repetijt, annum ætati  
defuncto, Matri viduæ per triennium con-  
suevit, suæ modum ponendum censens, absq; quo  
ægrî animi est, ut Seneca scripsit, existiman-  
tuna compositæ mentis, posse consistere, & t  
patriæ & familiæ pro suâ parte inserviendi  
plicavit ad conjugium, anno 1750 uxorem  
uxorem Ihsâ Gerdesiâ, civis quondam & ce-  
publicæ honoratissimi Joachimi Gerdesen-  
niâ mortua ad æterna gaudia præivit: Hæc  
functum nostrum novè liberorum Patrem  
nata Anna, & tertium genita Catharina, qu  
Joachimus, jam pridem Naturæ, quod quæli-  
litas, tributum exsolverunt, cœteri adhuc  
Inter quos primus recensetur Dn. Doctor N  
superius indicavi, nuptias cum celebris ge-  
Dn. HERMANNI von Dorn quondâ Senato-  
celebravit, quarû lætitiâ repentinus hic m-  
ut novelli hi conjuges patientissimè tolere  
Proxima succedit Elisabetha, nupta Valer-  
hujus Reipublicæ primario, ex quo par fili-  
rô unus Jacobus vivit adhuc, & alter Joachim  
Reliqui liberi, Virgo Emerentia, & tres filij  
nus & Henricus, ad pietatem & alias sexui s-  
tutes, & exercitia, ductu paterno hætenus  
qui cum luctuosissimo carissimi parentis obi-  
nati sunt, ijs Spiritus Sancti auxilium & sola-  
ut in recto virtutis tramite deinceps perga-  
progrediantur, ex animo voveo. Cæterum  
nium feliciter contractum quam plurimis  
conversationem, defuncti nostri prudentia, &  
nij, ac singularis in rebus politicis scientia  
uno præterlapso anno, in Senatorium ordi-  
coopertus est, suamq; Spartam illâ fidelitate,  
siriâ administravit, ut omnibus ac singulis Co-

the scale towards document

Helve-  
provin-  
i Patre  
nationi  
actatio,  
umen-  
Ideoq;  
um ad-  
uctâ in  
us Rei-  
bien-  
is, de-  
major  
s filius  
nora-  
ivunt:  
ui, uti  
Annâ,  
s filiâ,  
quem  
opto:  
o, civi  
, quo-  
obiit.  
ristia-  
es vir-  
erunt,  
nster-  
mulq;  
oliter  
rimo-  
lanam  
inge-  
t, vix  
vitat-  
indu-  
a tan-  
tum